



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

130 In privilegio, quando etiam non privilegiati includantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Hinc prisca, quorum mens semper intenta erat ad egregia, & gloriosa facinora, salubres urbium situs, cœlumque salubre non minus magnificere, quam reliqua. Ideo urbes condituri cœli temperiem aërisque bonitatem potissimum delegere, quo, & civium vitæ contulerent, & exteri, hac arte illecti, ad eas habitandas numerosiores accurrerent, leges etiam, seita, & edicta promulgarunt circa ea, quæ ad aëris puritatem conservandam facerent, pœnis contra minus obsequentes propositis, quod etiam accuratè legitur præstitisse, Federicus hujus nominis Secundus Imperator, qui, ut publicæ utilitati prospiceret, & in suis civitatibus, & castris aëris salubritas conservaretur, inter alia in constitutione Regni utriusque Siciliæ decreverat, ut ea omnia, quæ foetidum, corruptumque aërem reddere possent, extra civitatem ad mille passus exportarentur, aut in mari, vel flumine proijcerentur, pluribus aliis, ad aërem à putredine liberandum, sancitis, ut in *constit. Regn. Sicil. sub tit. 48.* & ibi etiam gloss. *lib. 3.* quam refert Matth. de Afflict. in *constit. Regn. lib. 3. de conserv. aër. §. magna fuit, & seq. rubr. 34.* ubi inquit, Regem ex proprio officio, quantum in se est, teneri providere, ne in suis civitatibus aëris impuritas ulla fiat, quæ civibus, & subditis perniciem pariat. Et rectè quidem.

127 Nam, ꝑ ubi impurus aër, ibi & morboſi, & pauci cives; quisque enim in salubre cœlum fugit; quod etiam, & in rationabilibus experimento videmus. Imò nec à peccato creduntur immunes, qui pestifera loca, sibi ad habitandum eligunt, ut potè Deum tentantes, Abb. in *cap. cum dilecti, num. 16 de dol. & contum.*

quem allegat & sequitur, Rip. in *tract. de pest. num. 8.*

129 Unde, ꝑ sicut in multitudine ministrorum sita est Regis dignitas, ita, & in paucitate plebis ignominia principis, Salom. *Proverb. capitulo decimoquarto circa fin. & Dionis. Carthul. de quat. noviss. art. 63. circ. princip.*

Circa hujusmodi statuentes, eo nomine solent se tueri, quòd statuta, decreta, & ordinationes magistratuum secularium circa hanc materiam laicos tantum comprehendant, qui dum contraveniunt, pœnis comminatis plectuntur: quæ tamen non exercentur in clericos.

Sed licet, id extrinsecè verisimile videatur, tamen, si non directè, & expressè, tacitè saltem, & indirectè ecclesiarum, & clericorum bona comprehendunt, cum sine operariis laicis in ecclesiasticis prædiis, nec oriza seminari, nec alio modo clerici ex eorum prædiis redditus percipere possint.

130 Quando enim ꝑ privilegiatus non potest commodè uti suo privilegio solus, etiam quòd non exprimantur personæ necessariæ ad illum finem, includuntur tamen in privilegio, arg. text. in *cap. licet, §. cum conceditur*, ubi etiam doctores, de *privil. in 6.* & bene Bald. in *auth. habita, numer. 9. C. ne fil. propatr. Abb. in c. quam sit, num. 1.* & ibi etiam Felyn. in terminis post alios per ipsum allegatos etiam, *nu. 1. de iuda, & sarrae.* & Surd. etiam post plures per ipsam citatos in *conf. 301. num. 18. volum. 3.*

131 Unde ꝑ etiam statutum, quo impositur pœna laicis pro factò clerici, dicitur contrarium libertati ecclesiasticæ.